

haec crederem eam Hyacinthi speciem esse, numquam inducar, figura Hort. Amstelod. 2. indicat aperte flores convenire cum Aloë guineensi, confirmor ex Tuis hisce quod Aloë arborescens sit congener Aloes hyacinthoidis. De Aloë guineensi jam mihi constat, eam non referri debere ad Aloën, uti nec ad Hyacinthum. Character generis potest emendari detectis pluribus speciebus, at numquam genus naturale. Adeoque ad aliud genus referri debent.

*Juncus trifidus*. de eo non debes dubitare. video in Tuo specimine folia superiora esse parum alterna, qualia saepe vidi in Lapponia, tamen eadem est species absolute.

*Juncus ultimo missus ex Morisono*, ante unum alterumve annum primo a me repertus juxta Upsaliam in profunda palude est. Habui eandem inter lectas per Lapponiam a me quondam plantas, sed festinans non potui extricare et attente examinare.

*Asclepias* et affines forte habent stamina 10, sed videbo proxima aestate Stapeliam et affines attentissime.

Rhamnum domingensem tam accurate descripsisti ut nil supra, video ex Tua descriptione characterem perfectissime, et debet absolute constituere novum genus. *Quem sequi debet Rh. polygamus* quid quaeso intelligis per haec verba? An Rh. polygamus caractere conveniat cum Rh. domingensi?

*Cherleriae* semina mihi erint exoptatissima omnium. quaeso ne obliviscaris data occasione pro me legere, et ejus flores rite examinare.

*Siliquam s. Ceratonium* referam ad Pentandriam, quamvis florentem floribus masculis videram, et exsiccatam possideam.

*Terebinthi* nomen omnino conveniret mutare.

*Utricularia* tua alpina ex figura est omnino Utricularia, sed quaeso me doceas unde eam habuisti? an ex alpinis europaeis.

*Portulaca triangularis*, de ea mihi satisfacisti, sed di-